

Petrus de Vinea

*Ep. III 41 (Pater mi, quam
terribilia michi uerborum...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. III 41 (Pater mi, quam
terribilia michi uerborum...)*

settembre 1237

In hac epistola magister Petrus de Vineis confitetur se culpabilem et petit ueniam

1. Pater mi, quam terribilia michi uerborum uestrorum sublimia mittitis, quorum nec tactus ardorem manus sustinent nec oculi possunt tolerare fulgorem! 2. Non sunt hominis oculi lincei nec humeri gigantei, quod sermonum uestrorum profunditatem inspicere et sententiarum pondera ualeant sustinere. 3. Vix aliquando, postquam a uobis abfui, lingua uestra se michi leuem exhibuit, uix se manus uestra pacificam, quin contentionem uerborum proferret epistola, uel correctionem uirgae dextera minaretur. 4. O quam blandus et efficax fuit ille primus meae culpae delator! 5. O quam ueridici testimonii testis exceptione qualibet maior, qui sic atrocem iniuriam filii detulit, sic atrociter comprobauit, ut radicatam in fundo puri cordis offensam euellere filius, proh dolor, iam frustra laboret! 6. Certe, pater, si uidissent oculi uestri coram se de filio, quod aure aliis dicentibus audiulistis, non sic irremediabiliter uisa uisu colligere, quam audita concipere debuissetis auditu. 7. Sed, ut manifestissime patet, nimis decliuus et fluxilis uia est auris, ad omnia nimis tenax, dum facile uerbum ingreditur et ingressum digeritur citius quam uomatur. 8. Indulgeat ei Deus, qui patrem sic credulum commouit in filium innocentem! 9. Nec miremini, quod ignosco tam leuiter circa me tam grauiter delinquenti: induxit hoc etenim non culpae uel ueniae leuitas, sed exempli cupido, quo potiri uos, pater, libentissime cuperem, ut, sicut ego deferentis misereor, uos delato similiter ignoscatis ac, si forsan, quod absit, in tantum offensa circa cordis uestri neruos coaluit, ut aliquatenus erui uel euelli non possit, utque, quod est seuerius, defensionis

copiam, quam nulla delatis calamitas abstulit, denegetis, in hoc saltem michi uestra paternitas, licet irata, consentiat, ut, suppresso quantumlibet nomine delatoris, cuius aut quorum non sum ego prorsus ignarus, delati criminis qualitas detegatur. 10. Etsi de me, licet taciti, queritis, quid exinde, postquam sciuro, nisi causam amaritudinis consequar, respondebo, quia uel in uero motus uestri laudabo iustitiam, uel in falso meam innocentiam commendabo; consequar enim adhuc aliud: quod, tum audita commissi facinoris qualitate, uel desperabo de uenia, uel satisfactionem quamlibet imparem reputabo nec uobiscum postea, sed mecum, ipse conflagam et pugna uestra, etiam me iacente, desideratum uictoribus exitum sortietur. 11. Desinetis postmodum aures meas uerborum uestrorum propulsare tonitruis nec uoluntatem meam accusabitis amplius nec prouocabitis uoluntatem, dicentes quod, siue uelim siue nolim, patrem, compatriotam, conciuem uos habeam, dominum et amicum, nec presenti sub uirga diceretis hoc filio, quod absenti per litteras intonatis. 12. Dicite michi, queso, pater et domine, quando et qualiter ego umquam hoc uolui, quod beneficium patris, conuersionem ciuis et puritatem amici, si placet hoc uobis scribere, recusauerim; immo, si in aliquo patri dicenti liceat contradicere filio, prorsus et prorsus contrarium procuraui, adeo quod de hoc solum uereor, ne me apud uos amici mei, uel inimici potius, detulerint, quod circa me patris affectum, conciuis gratiam, et puritatem amici a diebus aliquibus citra aut eneruatam inuenerim, aut, ut michimet blandiar, retardatam. 13. Finiam igitur et iucundiori stilo perficiam quam incepti: ueniam expeto, si loquendo profusius, si scribendo forsam amarius dolentis filii et innocentis conscientiae

uena defluxit et aperta uoce clamabo, quod uos me
habere patrem oporteat, conciuem expediat et delectet
amicum.